



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 158. Sedente autem illo pro tribunali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

est invidia, quia sicut rubigo est venenum ferri, sic invidia cordis humani; & sicut viperas dicunt abrupto ventre matris nasci, sic invidia concipientem animam dirumpit.

Itaque Domine Deus meus ab hoc malo libera me, quia nemo potest tantum mali inferre suo proximo, quantum sibi ipsi homo infert hoc peccatum admittendo.

§. 158. *Sedente autem illo pro tribunali.*

Tribunal sedes est iudicis, ad audiendas causas, & testimonia, & ad sententiam ferendam, dum ergo sederet pro tribunali Pilatus, uti iudex constitutus à Romanis, ut secundum iustitiam iudicaret, fontem perdendo, in fontem liberando, & defendendo illæsum, nullo habito respectu vel honoris proprii vel aduersariorum principum, debuisset per sententiam simpliciter latam dimittere Iesum Innocentem, & reum Barabbam declarare & punire pro meritis, & illo etiam dimisso per suffragia populi, adhuc absolueret Iesum. Hoc Agens rectè fecisset.

Domine Iesu, si quando pro tribunali sedere debeo ex officio, ut ministrum iustitiam siue in politico, Foro fori ut vocant, siue Foro interno seu cæli audiendo confessiones pœnitentium, non habeam obsecro respectum vllum ad fauorem vel principum vel amicorum petitionem, sed quod iustum est iustificem, quod vitiosum vituperem non minas vel aduersantium vel spem præmij præ oculis habens, sed solam ipsam iustitiam.

§. 159. *Misit ad eum vxor eius. v. 19.*

En iterum in scenam passionis Dominicæ procedit fœmina antea serua & ancilla in domo pontificum, nunc in Domo Præsidis, Domina, princeps, ut & illa conditio feminarum non exulet à Passione Domini. Sed quid agit illa? per eam nunc remoram astutia diaboli parat, ad impediendum bonum salutis generis humani, inquietat igitur illam per somnium, & suggerit, ut ipsa impediret mortem Christi, quia iustus esset. intelligit credo nunc demum diabolus per Christum se spolia sua amissurum, sicut ergo primum per mulierem mortem intulerat, ita per mulierem vult nunc Christum de manibus Iudæorum liberare, nec per eius mortem mortis amittat imperium. Nec sine dispensatione diuina id ita factum est, ut scilicet eius innocentia, dum iniique condemnatur, plures & varios haberet testes. Ita nimirum. Nemo innocens a deo opprimitur, quin aliquos habeat innocentia suæ testes. Iob, Susanna &c. veniant nobis in memoriam, quomodo salvi facti sunt.

O quana